

Si fuerit in decima, coniungentur fratres eius cum mulieribus honoratis, de domo uel progenie regis, significat etiam quod peregrinabitur, propter dignitatem acquirendam.

Si fuerit in undecima, ab amicis dilectus, ac humanus, & rectus erit, commodus & oportunus, fratres eius uxores ducent extraneas. Idem suscipiet itinera propter perseguitionem fidutiae, & spei.

Si fuerit in duodecima, erit malae uoluntatis, & fidei, neq; Deum, neq; eius dicta timebit, subtilis erit, & macilenti corporis, maleuolus suis fratribus & amicis, mala legis, & credet quod in Deo non sit ueritas, iter faciet in causis hostium.

De domino decimæ domus, in duodecim domibus.

Dominus decimæ in prima, significat regnum per ingenium, & per propinquitatem regis, in rebus uulgi, talis natus habebit dominium, eritq; in magisterijs sapiens, & in administrandis officijs, dabuntur dignitates, & officia sponte, significat etiam nato magnos fauores, dignitates, & sublimitates.

Si fuerit in secunda, uita natu erit de donis regis, & officijs, & congregabit per hoc substantiam, significat etiam quod natus honorabitur propter substantiam, & diuitias.

Si extiterit in tertia, paucos habebit fratres, & ibit multa itinera, consequetur honores ex fratribus, & breuibus itineribus.

In quarta, significat regnum per amicitiam nobilium, & regis, & per causas tribunorum, & per dispensatores regum, & per cultum terrarum, & aedificationes ciuitatum, & per diu siones fluminum, & custodias ciuitatum, & ex rebus antiquis, significat etiam quod habebit dominium, eritq; in magisterijs, ac officijs suis sapiens. Dabuntur ei dignitates, & officia sponte, ac in causis possessionum, rerum immobilia prosperabitur.

Si fuerit in quinta, habebit filios infirmos, qui forte ex illa infirmitate morientur, & accidet eis impedimentum ex parte regis, ac ascendet ad honores in causis filiorum, & filiarum.

In sexta, significat quod modicam substantiam habebit, uiuet de bonis quæ sibi dabuntur, modicum habebit dominium, capiet fortis, & faciet eos seruos, significat etiam quod honorabitur ex causis ægritudinum, ac familiarum, & consequetur honores ex familia.

In septima, significat regnum, per uictoriam contentionum, & ex causis uxoris, & quod uxorabitur cum muliere nobili, sapiente, & consequetur honorem ex uxore.

Si fuerit in octaua, habebit dominium in iuuentute, honores, & dignitates, ex hereditate mortuorum, & timebitur ne mater uati ex illo partu moriatur.

Si fuerit in octaua, natus habebit dominium in itineribus, erit bona uoluntas, morietur extra locum suum, consequetur dignitates, & sublimitates ex parte beneficiorum, & ex causis disciplinæ.

Si fuerit in decima, erit intelligens, habebit officia, ex quibus uiuet, fortunamq; uel per regem, uel per regnum magnum, uel per magisteria altiora. Deniq; quicunque ille erit, qui dominum decimi loci in medio coeli culmine positum habuerit, parabit sibi magnas dignitates ex causis magisterij & officij.

Si fuerit in undecima, amici eius bonum habebunt de ipso, ipseq; substantiam

B b ij aggre-